

_Lettera_N_2629

Al patriarca di Lisbona Ignazio Moraes Cardoso Nascimento

Praestantissime Praesul,

*Taurini die 31 octobris 1877

Iam duabus vicibus ad Sacerdotem Danielem Rademaker epistolam scripsi. At, quae de causa nescio, nullum responsum accepi. Nunc rogo te, praestantissime Praesul, ut rem audias et, si poteris, mihi auxilium praebeas. Negotium, de quo agitur, hoc est.

Quattuor Missionari Salesiani, qui ad humilem hanc Congregationem pertinent, ad portum Ulyssiponensem sive Lysbonensem navilium conscendere debent Rempublicam Platensem petitori. Quae de re duo charitatis officia mihi sunt necessaria, quae a te peto. Ut nempe mihi dicas: 1° Qua mensis die hunc portum pertingit navilium anglicum, cui titulus est

Mala Real.

2° Si forte hujusmodi religiosi viri per diem aut noctem in hac tua urbe commorari deberent, in loco tuto hospitari possint, puta in Seminario, solventes quod solvendum est. Ne mireris, praestantissime Praesul, si in hac prima vice tanta confidentia ad te scribo. Scio enim quod charitas tua vere benigna et patiens sit. Igitur habe me excusatum et Dominus centuplum retribuat tibi pro omnibus quae mihi retributurus es.

Benedictionem tuam supra me atque supra filios meos humiliter in Dominopostulo.

Vale.

Joan. Bosco Sac.